DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
AQUA COMMUNI
EJUSQUE USU INTERNO.

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS GRADU
IN MEDICINA ET CHIRURGIA ADSEQUENDO
CELEBERRIMA IN C. R. ACADEMIA JOSEPHINA
PUPLICO EXAMINI SUBMITTIT

Aloysius Pizzighelli,
ITALUS VERONENSIS
MEDICUS CASTRENSIS.

In adnexas Theses disputabitur in Palatio Academiae
die XXIII. Januarii MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.
TYPIS JOANNIS B. WALLISHAUSSER.

L' acqua é la **MEDICINA UNIVERSALE**, che da tanto tempo
cerca, e non si trova, perché ella é conosciuta da tutti.

Nogues Prefazione all' Opera di Smith pag. 36.

ILLUSTRISSIMO AC FORTISSIMO

VIRO

DOMINO DOMINO

CHRISTIANO

NOBILI AB

APPEL,

C. R. IN EXERCITU COLONELLO,

SUAE MAJESTATIS

ACRAE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE

COMITI BELLICO SUPREMO AD ALAS:

ORD. INSIGNIS AUSTR. ST. LEOPOLDI; ORD. MERITO-
RUM CIVILIUM CORONAE BAVARIAE; ORD. VIGILIA-
RUM MAGNI DUCATUS WEIMARIENSIS
COMMENDATORI.

ORD. R. POLONICI ST. STANISLAI CLASSIS II.; ORD. C.
MOSCOVICI ST. WLADIMIRI CLASSIS IV.; ORD. MERI-
TORUM CASTRENSIUM R. PRUSSICI
EQUITI etc. etc.

VIRO

VIRTUTE HUMANITATE CLEMENTIA

BENEVOLENTIA ET CANDOR

AEQUE INSIGNI

SUMMO LITERARUM

AESTIMATORI

PRIMOS HOSCE STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN PUBLICUM SUMMAE VENERATIONIS

SPECIMEN

SACROS VULT ET DEDICAT

DEVOTISSIMUS AUCTOR

LECTURIS!

Quo quisque maxime animo fertur ma-
riam exarandam sibi qui proposuerit, viri-
ısque collatam: nec facundia facile deseret
ınc, nec jusso etiamsi operi taedium labo-
s imprimet, nimiaeque ad metam diu ex-
ctatam festinationis vestigia. — Quae vilia
erumque pendere solent, quoniam ma-
me communia sunt, haud praepostere be-
gna ubicunque locorum larga dissemina-
t manu natura; cujus veritatis documen-
m exhibendi gratia, de aqua communi
aestionem instituturus sum, misso tamen
temporis angustias limitesque opellae
n admodum dilatandos, usu ejusdem ex-
rno, alioquin abunde ventilato.

Effatae fidus sententiae utrum ther
prehenderim et ad finem perduxerim, a
lector expecto; haud immemore, et qu
judicio submittas, et sub quo rerum sta
Commilitonum duntaxat et amicorum
quam nactus gratamque memoriam, bea
superbiam

AUCT

§. 1.

Aqua (Hydrogenium oxydatum) oxygenii atque hy-rogenii ea ratione compositio, ut prioris partem unam, osterioris duas respectu voluminis contineat, fluidum istit liquidum, pellucidum, coloris, odoris et saporis xpers, sine quo nihil in terra vivere, nihil existere at-ue persistere potest. Minerarum enim partes connectit, lantas et animalia aut reficit saltem, aut plane alit, ho-iinum insuper commercium juvans.

§. 2.

Omnimode pura vix usquam in natura occurrens bi opus est, destillatione paratur. Praestat in hunc nem vel coctam, vel pluviatilem, in loco, peregrinis ariis haud inquinato, ut quidam volunt, mense Martio t Aprili decidentem atque collectam, utpote per se pu-iores, adhibere. Abjecta prima, quae transierat, portio-e, nonnisi duae tertiae partes abstrahantur. Quae adhi-entur, vascula, vitrea sint, aut stanno bene obducta. — ihilominus tamen nomen reservat communis, dummodo ubstantiis peregrinis eum in modum impraegnata non sit, t propriis inde viribus in organismum polleat, ut pluri-um saporem, aut odorem, aut colorem, pluresve insi-ul a norma insuper abludentes exhibens.

Illius nunc usum internum triplici sub respectu dilu-idare conabimur;

1. quid ad conservandam
2. ad subvertendam
3. quid ad restituendam sanitatem valeat, ostendentes.

SECTIO PRIMA.

Aquae respectu diaetetico consideratio.

Aqua potabilis humectat et refrigerat, cum corpori humiditatem exhibeat.
Hippocrates de vivendi ratione. Sect. III. C. 1.

§. 3.

Magnam organismi partem aqua constituit, cujus imminutionem ingratus siccitatis sensus in gula, sitis, accusat, quae ideo sedari nequit, nisi aqua, omnibus reliquis potulentis huic soli sitim propellendi potestatem debentibus (Hartmann). Bestiarum nulla, nisi hominum astutiis a naturae tramite semota, quae horum blandire solent gulis, pro potu habere concupiscit; aversantur infantes. Homini hinc sano nihil aeque competit, atque aqua; et quorum ad summum provecta est aetas, his praeter reliquum regimen congruum illius quoque usum solemnem fuisse, historia consentit. Quo tamen potissimum tempore bibere conducat, ita divergunt auctores, ut, dum alii cum Hufelandio tribus circiter post pastum horis annuunt, alii, veluti Smith, Rostan, huic ipsi potum admiscendum doceant. Caeterum non tam ex aquae ingestae copia dependet ut sitis fallatur, quam potius ab ejus frigiditate, nec non a tempore, per quod cum nervis oris in contactu versatur.

§. 4.

Nec tamen cujuscunque sit indolis et formae, parem virtutem exerit, sed in genere, qualis e fontibus proscaturit, reliquis praeferenda. Scatet haec acido carbonico, nec non aëre atmosphaerico, continens insuper salia diversa, rationibus pro soli conditione parum constantibus, uti calcem carbonicam, sulfuricam et muriaticam, magnesiam sulfuricam, atque interdum aliquid ferri carbonici. Talis, non sine floccis sapones solvens, quum difficilior sit ad coquendum, ubi vasa tandem crusta obducit, dura vocatur. Artis salutiferae almus pater et cory-

phaeus in id quoque attentionem convertit, cujusnam pretii sit diversus fontium ad solem adspectus; mox tamen idem ipse his utitur verbis: »qui sanus est ac valet, is nullo habito discrimine semper eam quae adest, bibat.« — Per quos ducitur canales nihil mutabunt, si ex argilla vel ligno, saepius tamen renovando; parum si ex ferro confecti fuerint. Cupreos adhibere non pretium modo, verum etiam noxae timor dissuadent; plumbeos autem vel optime Stanno obductos mediante oxydo inde formato intoxicationem adduxisse compertum; Zincum tandem, recentissimis temporibus huic scopo examinatum aeque repudiatum est.

§. 5.

Proxima est putealis Atque in hac quidem praesertim ad solum respiciendum est et ad altitudinem et motum. Arenosum sit primum, sat magna secunda, tertius sufficiens. Pateat simul liber aëri aditus.

§. 6.

Fluviatilis tandem amisso post tanta itinera acido carbonico, depositaque calce, mollis audit, omnium maxime de temperatura circumdante participat, atque abreptis secum terrarum, quas perfluit, particulis non modo, verum etiam tot animantium excrementis atque residuis putredini obnoxiis, perque urbium faeces immunda, nec gustui arriderc adeo solet, nec satis refrigerare. Praestat fluviorum qui rapide super solum arenosum in locis umbrosis volvuntur, aqua.

§. 7.

Aquam maris ad bibendum nil valere, abunde constat; cujus autem pars in glaciem, (qua quidem rarius utimur), condensata fuerit, quidquid dicat Hippocrates, dulcis est et potabilis; sicuti et illa, quae sub destillatione salium onera reliquerit.

§. 8.

Si quando nulla alia praesto habetur, quam quae admixtis variis foeda existit, purgari potest, si per are-

nam fluere cogitur; melius adhuc, si per carbones insimul; optime autem, si per columnas ex alternantibus utriusque cum charta bibula stratis, idque sursum. Perquam foetentem turbidamque talis ope processus eo emendatam vidi, ut obscoeni prorsus exuta odoris et clara, ipsi gustui placuerit. Interdum quies, aut coctio, aut salis portio acidive guttae aliquot sufficiunt, ut inquinantia secedant aut deleantur *).

§. 9.

Maria trajicientibus quum potissima scorbuti causa sit aquae depravatio, ad id mentem intenderunt, quomodo potabilis reservetur. In carbonem comburri dolium intus jusserunt alii, ejusdem pulverem aquae inspergendum suadentibus aliis; donec optimum esse inventum fuerit, si sex fluidi libris octove, carbonis drachma dimidia cum acidi sulfurici guttis duabus admisceatur.

SECTIO SECUNDA.

De aquae vi noxia.

Nil prodest, quod non laedere possit idem.

Ovidius de Tristibus lib. II. v. 266.

§. 10.

Aquae usus in quantum nocere possit, quo accuratius ostendatur, omnium primo, ubi proprium illius vitium in causa est, ab illis casibus separandum videtur, ubi peculiaris organismi status eandem in noxam convertere potest. Atque priori quidem respectu quantitatem peccantem et qualitatem pravam itidem seorsim tractare conducet.

---

*) J. N. Isfordink's militärische Gesundheitspolizei. B. 1. p. 360 — 371.

I.

Ex propria culpa.

A. Quantitas peccans.

§. 11.

Nimia ingurgitata mole ventriculo inundationem ciet, humoresque nimiopere diluit. Quodsi saepius fiat, ex nimia tandem dilatatione tonus et vigor imminuti eo citius securiusque insequantur necesse erit, quum fluidum admodum homogeneum materiae organicae parum incitamenti largiatur. Digestionis autem proxime oriundus languor pluribus fere morbis proliciendis, quam ego recensendis, par autumandus. Pari ratione mox vasorum absorbentium glandularumque actio regressura, obstructionibus, tumoribus atque atrophiae locum concedit. Nec tamen tot potu, atque eo minus aquae pereunt, quam gula.

§. 12.

Ex altera tamen parte in potando aquam justo parcior, (eo magis si spirituosis abutatur) comburi patitur corpus rigidaque praevalere facit, quum tanta fluidorum copia continuo egeratur.

B. Qualitas peccans.

Sunt enim variae, saepe non salubris indolis aquae.

F. Hoffmann Tom. III. Sec. II. Cap. IX. §. 55.

a Paludum.

§. 13.

Cujus auctoritatem saepissime adductam non justo saepius citatam putabis, Hippocrates paludum olidis et crassis aquis morborum tribuit cohortem gignendam; imo ad quidvis paratas esse censet. Idque merito. Etenim quod si nec destillationis ope eum in modum purgari po-

test aqua, ut materiae Priestleyanae formatio praecaveri possit: quanto magis in pudredinem prona sit oportet, quae parcissima motus vicissitudine agitata, humi, quam allambit, particulas continuo in se suscipit, susceptasque et aëre beatas et sole in vegetabilia aut animalia convertit, horum iterum excretis et mortuorum residuis pejoranda. Quae sub gazeos vaporisve forma evehuntur, infensum reddunt aërem sanguini, (ut cujus nonisi levis aberratio a mixtione normali impune ab organismo fertur), et graviorem. Hoc est, cur intermittentes obstinatas, et pestem et choleram morbum et febrem flavam, et quasvis pessimae notae endemias producere valeant.

Hujusmodi autem aquae ventriculo ingestae, quid nocere possint, praeeunte itidem Hippocrate audiamus. — Pituitam gignunt et hydropem, lienisque obstructiones, ventres vero duros et tenues. Edaces reddunt et siticulosos, medicamentorum autem vim debilitant. Hieme raucedinem excitant et pulmonum inflammationem et insaniam junioribus; senioribus febres ardentes. Intestinorum difficultates et alvi profluvia per aestatem multis incidunt, et febres et quartanae diuturnae, in hydropem facile abiturae et in ipsam inde mortem. Mulieribus tumores veniunt et pituita alba, »vixque concipiunt et cum magna difficultate foetus magnos et tumidos pariunt, quique postea, dum educantur, contabescunt et deteriores evadunt. Neque bona post partum purgatio contingit.« Pueris hernias; tibiarum ulcera et varices viris ciere potest. Tandem ad putredinem disponit corpus.

Ab hac aquae specie tum qualitate, tum effectu parum differt, quae puteis debetur nec motum concedentibus, nec sat altis, faciemque soli multum obvertentibus, hinc debito refrigerio destitutis.

§. 14.

Ex fluviatili »segnisve et spissa evadit lympha, et sanguis solutus, aut et stricta et sicca materia, prouti

principia praevalent exsiccantia.« *) Particulas terrestres calculis generandis favere, Hippocrates contendit.

Nota. Aquam marinam juxta datam §. 2 expositionem soteriis adnumeramus.

§. 15.

Quae cum potu interdum hauriuntur, corpora innatantia, pro natura et forma diversis multifaria prolicere possunt mala. Sic non tantum ex vulgi ore venit, sed in ipsis quoque medicorum diariis legitur, ex amphibiorum consumtis larvis aut ovis animalia omnimode perfecta in stomacho prodiisse, atque post annorum imo cruciatus, modo graviditatem modo variorum morborum formam ludentes, tandem aut vomitu fuisse ejecta, aut alvo secessisse. Nec dubitandum, quin mortis jam causam ignotam stiterint.

§. 16.

Temperaturam tandem respicientes, ex tepida ventriculum relaxari, musculos emolliri, ex nimio sudore humores inspissari et vires decrescere animadvertemus; quemadmodum nec plantis convenire, nec bestiis arridere notum est, etiamsi nonnullis ex consuetudine minus nocere videatur, atque pristinis praesertim temporibus saluberrima imo sit habita. Sufficit enim sanis processu vitali continuo generatus calor, non impune arte diutius intendendus. Quare multis potulentorum tepidorum invalescens usus pro increscentis rhachitidis causa suspectus habetur; idque non sine veritatis specie.

Perquam autem frigida, qualis ex glacie aut nive venit, congestiones atque inde, si ad nobilia fiant organa, apoplexiam, nec non data dispositione ventriculi inflammationes et scirrhum excitare valet. Sunt etiam qui strumas inde derivandas arguant.

---

*) Töltenyi princip. path. gen. Tom. I. §. 737.

II.

De organismi conditionibus nonnullis, quibus praesentibus aquae, etiamsi per se bona sit, usus nocet.

Spectanda potius in omni hujus remedii simplicis quidem, sed effectus heroici, usu, aetas, structura solidorum, temperies humorum, morbus, ipsius causa et tempus.

F. Hoffmann, Tom. III. Sect. II. Cap. XI. §. 32.

§. 17.

Quibus cerevisia vel vino uti solenne semper fuerit, molestiae variae supervenient, si quando ad destinatum a natura potum subito redire susciperent. Hinc est, cur tales homines ventriculum modo sibi inde gravari, modo alvi obstipationem venire, accusent. Fit alterum, quoniam abluti a muco tenaci, et sordibus diversis, quas ciborum farrago et cerevisia congesserant, parietes solito acrius percipiunt quasvis impressiones; alterum, quoniam ex eadem causa faecibus per tractum intestinalem transitus difficilior est. His tamen cum constantia superatis et patientia, mox, quanta opus est, muci copia producta, firmiore sanitate resarcit natura, praesertim si aureae non penitus immemores fuerimus regulae, quam semper et ubique sequi jubet natura, et his verbis Celsus: »Cum quis mutare aliquid volet, paullatim debebit assuescere« *).

§. 18.

Hanc ipsam, si fieri posset, illos quoque adplicare juvaret, qui peregrinae regionis hauriunt aquam, ut quae nullibi fere prorsus eadem, pertinaces insolitis

*) Celsus de medicina l. 1. c. III.

provocare valet diarrhoeas, voracitatis interdum speciem et alia incommoda.

§. 19.

Vix tamen majorem aliunde miseriam tibi contrahes, quam si frigidam aestuans ingurgites. Quae enim modo alacris vigebat circulatio, derepente languescere cogitur; quumque pulmones itidem corrugati non inveniant, quo sanguinis molem mittant, paralysin patiuntur, aut inflammationem et sequentem inde phthisim aliave mala posthuma. Diutius autem expectare debebit, ut impune potum ferat, qui temperamentum habet sanguineum, et constitutionem arteriosam, erethisticam. In his enim difficulter turbae sedantur, sudorque largus esse solet, cujus suppressionem quot mala sequi possint et quanta, abunde constat. Recte itaque Celsus: »Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sudanti frigidae potio perniciosissima est: atque etiam, cum sudor remisit itinere fatigatis inutilis« *). Tutum quidem satque munitum se credit vulgus, dummodo, ut idem mox iterum prorumpat, curaverit. At vero, praeterquam quod frustra interdum tentabitur, an prorsus restitutae harmoniae documentum, etiamsi efficiatur, habendum sit, quaeritur. Prudentius sane aget, qui cibi portione praevie assumta, ore aliquamdiu fotam parco biberit haustu. Secus enim agenti cujuscumque organi labes timenda. Commemorandi occasione hic quoque utor, dentibus nihil aeque insidiosum esse, quam fervidos cibos frigidus subito excipiens potus.

§. 20.

Nullum temperamentum, nulla constitutio aquae usum interdicit. Phlegmaticis quidem et obesis quamvis vinum magis convenire videatur, tamen haec ipsa, molesta tandem pinguedine consumta, firmiorem mate-

*) Celsus de medicina l. 1. c. III.

riam constituit. In seligendis tamen aquis, quod Hippocrates monet, respiciamus: rigosis dulcissimas, levissimas et limpidissimas conducere; pituitosis duras et aliquantulum salsas. Frigidas amenorrhoea laborantes caveant, et paroxymo vel spasmo correpti; nec senibus adeo conducere aquam, contendit F. Hoffmann.

§. 21.

Fructus horrei recentes, quibus aqua superbibitur, in fermentationem abripiuntur; unde flatulentia, colica, diarrhoea, dysenteria, cholera et ventriculi intestinorumve rosiones et inflammationes accidere possunt. Larga tamen quantitate assumtam non tantum non nocere, sed prodesse etiam, acria scilicet diluendo, contendit Clarissimus Hahn *), eumque morem communem esse Gallis, Hispanis, et Lusitanis, quibus Itali quoque sunt ednumerandi.

SECTIO TERTIA.

Aquae respectu therapeutico consideratio.

Wasser hilft allenthalben, es sey denn der Tod.

Troppaneger, Unterricht von der Diät. S. 43.

§. 22.

Aquae communis in organismum agendi potestas et ratio quam diverso temperaturae, quo pollet, gradu maximopere modificetur, omnium primo necessarium nobis visum est, frigidam a calida sejungere, atque priori tres iterum gradus discernere, idque praeeunte Clarissimo Vogt.

*) Von der Heilkraft des frischen Wassers S. 33.

A. Aquae frigidae vis et usus.

a. Temperaturae infra 0° R.

In glaciem nivemve concretae non modo a temperatura, sed etiam a forma dependent effectus. Ventriculo immissa glacies, calorem ut in statum fluidum transire possit, absorbendo, sat validum sistit irritamentum. Mox contrahi inde vasa necesse, sanguinemque condensari, dum nervorum insimul agilitas deprimitur. Hinc et pulsus frequentia recedit, et omnes secretiones imminuuntur; accedunt horripilationes et frigus, idque in sequelam tum abrepti atque ad interiora properantis caloris, tum inducti per consensum spasmi.

Verum vero, postquam omnis colliquefacta glacies, et ad eundem cum organismo temperaturae gradum evecta, salutiferi ut plurimum, qui desiderantur, effectus comparent secundarii. Cumulata enim quasi in nervis vis alacrem ciet prorumpens fortemque cum vasis conflictum; unde caloris in scrobiculo cordis sensus, pulsus vivacitas, secretionum omnium, praesertim sudoris et urinae copia larga, motuum vigor et facilitas atque ex hisce proscaturiens sensatio amoena.

Hos qualescunque effectus per ingestam modificari quantitatem per se liquet; sensilioribus autem individuis, nec data indicatione porrecta quales infligere valeat noxas, §. 16 innuendi occasio facta fuit.

§. 23.

Ex illius itaque usu optima quaeque sperare licebit, ubi organorum ad digestionem facientium tonum et robur intendere, nervos placare atque secretiones promovere in votis habetur; uti sunt:

1. Apepsia, diarrhoea chronica, obstipatio aliaque

tractus intestinalis laxitati originem debentia mala, praesertim si potulentorum tepidorum abusus praecesserit.

2. Nervorum ventriculi et intestinorum erethismus, hujusque progenies: cardialgia, colica, singultus, vomiturition es, vomitus, spasmus ventriculi etc.

3. Mentis operationes organicae materiae conditionibus alligatas, atque prae ceteris quidem cerebri, nemo non concedit; quot autem nervorum rami et plexus abdominalibus insiti sint organis, anatomiae; horum aliis consensum cum illo foventibus, alios antagonismum sustinere, physiologiae nec non pathologiae laboribus atque scrutiniis confirmatum habemus. Sive nunc primarie in hisce atonia vel erethismus nascatur, sive, quod multo sane frequentius, collectis sordibus aut stagnationibus in systemate venae portarum originem debeant: turbae inde nunc majores nunc minores cerebro quoque superveniant, necesse erit, nullatenus cessurae, nisi causa fuerit sublata. Huc quid glacies conferre valeat, ex supra traditis facile elucescet.

4. Singularem insuper mentionem gravissime nunc temporis humanum genus affligentis morbi, cholerae scilicet epidemicae, fieri aequum est. In qua, quousque omnium humorum motus recedat, atque renum, hepatis, cutisque functionibus ad imum deductis aut plane abolitis, omnem naturae operam in tractu intestinali versari, contemplantibus, remedium exoptatissimum esse debebit, effectus editurum, quos secundariorum nomine supra recensuimus. Hinc etiam est, cur, qui ad illam confugerint, prospero sat saepe (in quantum nempe per morbi vehementiam et reliquas circumstantias licuit), coronati sint effectu. Caute autem hic omnino adhibenda, exiguis dosibus, saepius repetendis.

5. Incipienti in tractu intestinali dissolutioni atque putredini, veluti in febribus putridis, dysenteria putri-

la etc. obtinet, mirum in modum auxilium haud raro adulisse, observatum est.

Sub pilularum, succorumve congelatorum, qui conditi melius ab aliquibus perferuntur, forma propinatur; dosi a drachma una ad sex. Haec quo fuerit minor, eo citius producit effectus secundarios, nec validos tamen, nec late diffusos, qui ne comparent quidem interdum ex nimia.

b. Temperaturae ab 0+5° R. = aqua perfrigida.

§. 24.

Physices legibus ductus demere si noris, quod forma effecerat: unde dijudicare possis, quod nunc quaeritur, habebis. Tota enim interna ventriculi facies quum subito aquae haustae massa percellatur: major quidem impetus erit primarius, diutius insimul plerumque perstiturus; attamen nec frigoris gradus, nisi continuetur usus, a glacie genitum prorsus aequabit, nec tantos exspectare licebit effectus secundarios.

§. 25.

Praeterquam itaque, quod iisdem, quibus glacies, opponi potest morbis, siquidem ex diutiori frigoris in ventriculo efficacia salutem venturam speramus, sequentes veniunt adjiciendi:

1. Haemorrhagiarum non illae modo quae passivae nuncupantur, verum etiam activae, siquidem post administratam venaesectionem atque adhibita alia remedia convenientia non modo non sedantur, sed periculum potius in mora versatur, vasorumque vis contractiva extingui atque adynamiae status intrare minatur. Per impertitum enim nervis ope aquae perfrigidae perculsum vehementissimas, frustraque aliunde debellatas subito stitisse hae-

morrhagias, numerosissimis experimentis vulgatum existit; meritoque glaciei hoc sub respectu praefertur. Sin spasmus subversetur, sanguisve plethoram monstret et plasticitatem magnam: in perniciem aegri aut pejorandam saltem sortem adhiberetur. Non minus, ubi maxima jam vasorum, atque inde omnis materiae organicae vis vitalis scintillat, ipsi ex aqua perfrigida traderetur morti. Tandem, ubi repentinam haemorrhagiae suppressionem est quod timeamus, ab eodem abstinendum remedio, suapte liquet.

2. Congestiones passivae, cum oriundis inde stagnationibus, bilis vitiosa secretione, hypochondria, melancholia, aliisque malis. Ipsis cordis vasorumque majorum aneurismatibus atque degenerationibus levamen saltem adferre valet.

3. Neuropathiae chronicae, praesertim epilepsia.

4. Organorum uropoeticorum irritationes, sive mechanicae, sive chemicae, sive mere dynamicae causae originem debeant. — Quantitas pro dosi propinanda non modo ab individui incitabilitate, sed a majori etiam, aut minori, quem intendimus, effectu destinatur.

c. Temperaturae ultra + 5° R. = aqua frigida.

§. 26.

Hanc ad exemplar celeberrimi Vogt in frigidam iterum atque subfrigidam dispescere eo haesitavi, quia utriusque interne adhibitae non eum in modum discrepant effectus, quam sub externo usu observare fas est, multo sensiliori erga frigus cute leviores etiam gradationes indigitante. Haec etiam est, in qua diaeteticum usum medico junctum tantopere mirari adigimur.

§. 27.

Quamquam exoleverit plane hodiernis temporibus mechanica medicamentorum virtutes interpretandi ratio, quam secutus celeberrimus Nogues eorum nullum sine aqua efficaciam exserere posse contendit: non negandum tamen, ejusdem adminiculo pleraque facilius in succum et sanguinem suscipi, citiusque et certius agere. Constat praeterea, in quantum constituentis munus subeat, atque in quantum denique ad sistenda praeparata varia indigeatur. Missis tamen hisce, therapeuticis potius interpretationibus tempus impendamus et vires. Pari ratione, quibusnam aqua effectus proliciat viribus, fusius pertractare, supersederi posse existimamus, utpote materiae in rebus physicis paululum versato notissimae, atque in praecedentibus insuper passim indigitatae.

§. 28.

Ex morborum itaque cohorte, quorum vix ullus illius usum non admitteret, illos potissimum seligamus, ubi larga quantitate adhibitae fructus praedicarunt, qui sunt:

1. Febres phlegmonosae. Magna in his urgere solet sitis et propellere aegros, ut refrigerantibus potulentis ardorem mitigent, sanguinem nimis plasticum attenuent, acrium atque stagnantium humorum irritantem molem per urinam et sudorem, prae ceteris largiores evehant, atque inde magnum saltem levamen, nisi plane sanitatem sibi concilient. Cur itaque, quod natura postulat nunquam fallax, concedere haesitemus? Cur tepida ingurgitare atque viscosa jubeamus decocta, quibus difficilior potius sanationis labor reddatur necesse est? Talibus sub rerum auspiciis majorem aquae frigidae laudem medici veteres; his aegri tribuerunt. Inundavit quasi aqua febricitantes Galenus, non satis habens, nisi coerules-

cere inciperent, lectulo coopertos sudor plerumque largus sanitati reddidit. Aetius, ne negligamus aquae usum monet. Olivieri in febribus saepius, quam sitis indicat bibi vult, et magnam saepe quantitatem; frigidamque praefert aquam, aut decoctum hordei leve, cui multum quoque confidit de Haen. Smith auctoris cujusdam mentionem facit affirmantis, fugari plerumque febrem si nihil praeter aquam per tres dies assumtum fuerit; sin perstet, decoctum hordei alimenta suppleat ad septimum usque diem, certum febris terminum. Tot facile numero augendis auctoritatibus fulti, maxime egregium non modo potum, sed medicinam quoque haud spernendam declaramus aquam, quae insuper nec acescendo nocet ut liquores fermentati, nec singulari quadam aversatione unquam facile excluditur.

2. Febris cum charactere catarrhali modo incipientis ulteriorem evolutionem frigidae potu interdum praepediri non ideo jus concedit, eandem in provectiori stadio in usum trahendi.

3. In rheumaticis autem propter virtutem diapnoicam, sordesque varias aut causam sistentes, aut complicationem, eliminandas, majoris profecto, quam vulgo fieri solet, aestimanda.

§. 29.

Febrium gastricarum frequentissimae sunt, quae ex saburra veniunt, in qua itaque vel sursum vel deorsum amovenda primus et praecipuus curae labor versabitur. Ad emesim quidem ciendam praestat omnino tepida (§. 33); non desunt tamen; qui frigidam aeque commendant. Ubi autem saburram mobilem reddere, alvumque movere interest, nihil fere blandius intestina abluit, phlogosin fors praesentem domans insimul, ac digestionem sublevans. —

Bilis autem si accussanda veniat, copia peccans aut crimonia, optimum itidem remedium in aqua frigida inenies, perpensurus, quid diluendi, placandi, egerendi otestate valeat. Continua usum, et liberior in hepate tque systemate venae portarum circulatio, sanguisque enuior factus cum imminuta principii carbonici ratione, uominus idem aut simile revertatur malum, prohibebunt.

Non minus febribus gastrico pituitosis auxilium supeditando aptissima; non tantum quod dissolvat pituitam enacitate obducentem intestina, sed etiam quod succos iluendo materiam stagnaturam quasi depromat, ductuum umina aperiat, hosque ipsos robore majori atque energia andem imbuat.

Analogae sunt vermium insidiae, quos copiosa deectos aqua legentes, non est quod miremur.

§. 30.

Putredinis ex solidorum laxitate fluidorumque in dissolutionem pronitate proxime deducenda origo, quid ex aqua frigida polliceri sibi liceat, insimul commonstrat. Ut enim abnormi obest calori, ita tonum reconciliat; pulsum quoque debilem et parvum exinde elevari et roborari, comperit celeberrimus Smith.

§. 31.

Circa inflammationes idem fere, quod de febribus inflammatoriis, valet, quarum aut sequelam repraesentant aut causam. Utroque in casu potens in aqua frigida antiphlogisticum agnoscere non cunctandum, quin debitum ideo adfecti organi respectum quoad structuram, functionem atque sensilitatem habere obliviscamur. Quadrat profecto, aut prae ceteris aut saltem inter cetera, si animi pathemata, veluti gaudium, ira etc. inflammationem quandam intulerint; probantque illius usum in angina, pleuritide atque peripneumonia Doctores Sydenham et Hancok. Tandem ad intoxicationis periculum minuen-

dum, dum pauciores corporis nocivi particulae in contactum cum parietibus ventriculi atque intestinorum veniant plurimum sane confert, non neglecta nihilominus emesi. Praesertim contra Arsenicum a Boerhavio, contra fungos venenatos a Doctore de Krapf commendatur.

Exanthematum non alibi majori jure mentionem facere susciperemus. In his quantum intersit, ut, etsi nimis minus quam impetuose, diaphoresis tamen sublevetur et sustineatur, omnes procul dubio consentiunt. Verum etiam omnia reliqua colatoria aperta teneantur, atque ne cum sordibus insuper vel acrimonia certamen ineundum sit naturae, videndum. — En iterum laudati a me remedii virtutes et vires.

§. 32.

Antequam morborum chronicorum seriem lustrem, horum perexiguum numerum rareque mortales infestaturum, praemonere audeo, siquidem, quem sectione prima commendavimus, potum amplecterentur, qui nec aliunde contractis malis opem ferre moratur. Numero huc ex apyrexiis κατ᾽ἐξοχήν:

1. Lactis defectum; quod copiosum fluere aquae quantitatem, praesertim vespere hauriendo assuefactis compertum est.

2. Scorbutum, qui ut ex defectu aquae bonae oriri ita per illius usum tolli potest.

3. Quibuscumque primae viae infestantur morbis medelam adferre valet aqua. Evacuatis enim quacumque via sordibus, robur quoque reddere, atque digestionem quae nihilo aeque juvatur, ad pristinum reducere statum aggreditur. Hinc est, quod et movere alvum et sedare possit, ut alibi jam exposuimus. Pari ratione emesin non modo producit, sed etiam fugat, irritantes materias diluendo nervorumque intemperiem temperando. Sunt etiam qui alimentorum vices per viginti, imo quadraginta

ies supplevisse aquam, commemorent *); unde in polyo-
exia omni utilitate vix destitutum iri, concludo.

4. Omnem in aqua spem collocare in curandis hy-
ropibus fas est, quorum colluviem et praeparat ad
gestionem, et secum abripit. Ut itaque aut perficere
uram, aut, ubi paracentesi opus est, saltem juvare
aldopere possit.

5. Quemadmodum in hydrope inter exhalationem et
esorptionem, ita in scrophulis inter succorum densi-
atem et vasculorum tonum inversa ratio locum habet. Nec
taque perferret organismus aliud potulentorum genus
ine noxa, eo magis in atoniam relapsurus, quo major ad-
litus fuerit stimulus; nec utrique momento pariter oppor-
unum atque aqua frigida, remedium adaptandum, idque
am interne quam externe.

6. De ictero atque melanosi plura coacervare
mitto, quum, quae circa febres biliosas dicta sunt, huc
quoque referri mereantur. — Coerulosis autem diaetam
sibi exposcit blandissimam, refrigerantem, atque oxygenio
divitem; qualem respectu potus aqua suppeditat aut mera,
aut acido quodam commixta, haemorrhoidariis quoque sa-
luberrima.

7. Inter impetigines quamquam contra scabiem, plu-
resque alias ab auctoribus commendatur aqua: tuberculo-
rum tantummodo mentionem faciamus, quae sub nomine
a c n e s r o s a c e a e cupreo faciem foedant colore.
Potatores prae ceteris infestantia, fervorem nimium san-
guini insidentem pro causa agnoscunt, quae tamen ni-
hilo secius etiam ex dispositione hereditaria, organorum
abdominalium physconiis, ex haemorrhoidibus tandem aut
arthritide efflorescere queunt. Utut autem sit, si unquam,

*] Trd. ital. di Smith p. 68 — 69.

hic profecto: contraria contrariis curari, asserere fas est. Tempore autem opus est et patientia, omniumque primo quod quidem per se intelligitur, spirituosorum cum aqua commutatione, nunquam deserenda.

8. Pesti quoque auxilium ex aquae potione multa pro scaturisse, testimonia adsunt.

9. Qui systemati nervorum inhabitant morbi, uti epilepsia, melancholia, mania, haud parum inde lucrantur; denique

10. Quibus aquam bibere solenne est, nec sabulo unquam, nec calculis obnoxii adinveniuntur; quos imitaturis malo jamjam afflictis alii inducias facturum idem, alii plane abolitum iri prommittunt.

11. Asthmaticis quoque salutaris praedicata.

12. Cum liquore Hoffmanni remixtam, aneurismate oppressis eatenus saltem salutiferam expertus est Scarpa, quod magnum inde levamem proficisceretur.

B. Aquae tepidae et calidae vis et usus.

§. 33.

Calidae a frigida virtus discrepans, eodem praesente fluido, a temperatura dependet. Pari itaque ratione utraque solvit, mulcet, attenuat, evehit, mundat; ast post sumtam frigidam ab initio vitae manifestatio recedit, novo mox evigilans robore, post calidam ab excessu, in quem acta fuerat, momentaneo, ad quietis et laxitatis statum descensura. Tepidam a calida disjungentes, in priori emeticum habemus omnium blandissimum, ex quo nulla prorsus noxa timenda, ubique obvium, atque nullius constans pretii; quapropter, ubi non periculum in mora versatur, omnibus aliis emeticis anteponendum, praesertim

praxi pauperum atque militari. Acceleratur emesis ope giti aut plumae oesophago immissae.

Calida per tractatum medici Galli Gadet de Veaux ua egregium antiarthriticum inclaruit, rheumatismo quoue auxilium non denegans. Aquae communis temperara + 45 — 48° R. omni quadrante horae unciae sex vel cto hauriuntur, idque per duodecim horas; quam tamen ormam pro aegri conditione aliquantulum modificari inerdum opus erit. Ipse omnium aliorum abstinens potulenorum ciborumque, lecti aut vestimentorum calore fotus, rorumpentem sustineat sudorem, qui ab initio acidum ersaepe odorem spargit, dum urina turbida et crassa ari ratione pededentim inclarescit. Ita semota materia norbifica novam quasi ordiendi vitam organismo occasio onceditur, ab omni protinus insultu liberam; veluti xemplorum copia confirmatur. Interdum tamen congetiones, syncopen, apoplexiae prodromos curam frustraos fuisse legitur, interdum debilitatem, laxitatem, nec non organorum digestoriorum sensilitatem morbosam methodum hanc insequutas.

§. 34.

Qui ex calida surgunt aqua, vaporibus eatenus cum fructu interne utimur, quatenus una cum aëre atmosphaerico pulmonibus immittuntur. En unicam, immediate in organa respiratoria agendi viam, qua incedendum, ubi sensilitatem atque irritationem excedentes deprimere, membranas mucosas mulcere, sputaque solvere convenit, sive catarrhi sive anginae, sive phthiseos siccae, aliove nomine insignire morbum placeat. Cavendum tamen, ne nimis calidorum adplicatione congestiones et irritatio in pectore augeantur non modo, verum etiam in capite insuper excitentur. Itidem, si tubulo excipi atque ingeri sine incommodo nequeant, repleto iisdem cubili assequi scopum callidus scies.

§. 35.

Ita diversos aquae temperaturae diversae adjudican tes effectus, nullatenus, quae aliter calet, iisdem imp rem gignendis arbitramur; sed tantum aliam alii exind praecurrere, innuturi eramus.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Quo quid natura uberius profert, eo utilius ensendum.

II.

Si qua existit medicina universalis, aqua est.

III.

In nullo quidem morbo plus fortuna sibi vinicare, quam ars: ars, quam natura potest: utote cum, repugnante natura nihil medicina perciat.

Celsus lib. III. cap. I.

IV.

Gangraena aut sphacelus nullam unquam pro mputatione indicationem suppeditat.

V.

Medico plurium idiomatum cognitio summe necessaria.

VI.

Nulla cataractam operandi methodus per se raestantissima.

VII.

Neglectus motus desidium omnium facultaum generat.

Töltenyi Princip. path. Tom. I. §. 883.

VIII.

Competit foetui vita substantialis propria.

IX.

Parum valet prognoseos in rationalem et empiricam divisio, firmo haud innitens fundamento.

X.

Neque aërem oxygenio spoliando, neque ob humiditatem, sed miasmate, per aestum aut potius coeli inconstantiam provocato et foto, febrim intermittentem paludes gignunt.

Jos. Frank.

XI.

Nocturnas vigilias somno diurno nemo resarcit.

Töltenyi Princip. path. Tom. I. §. 816.

XII.

Medico nullam praeter cognitiones suas auctoritatem concedere velle, absurdum est.

Corrigenda.

Pag.	10	lin.	11	loco:	comburri,	lege:	comburi
—	16	—	5	—	paroxymo,	—	paroxysmo
—	16	—	15	—	ednumerandi,	—	adnumerandi.